


**Avspice Christo. De Norma veritatis & certitudinis Doctrinæ & cultuum in
Ecclesia Dei, vnica & immota, Verbo Dei, Sev Scriptva Sacra, Theses**

[Rostock]: [Möllemann], 1587

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1756971285>

Druck Freier  Zugang






176
A-E
A-B
A-B. 12 Pi
A-E
A-C
A-C
A-B
A-C
A-E
A-B
A-B
A-B
A-B
A-B
A-C
A-E

Im - 4303¹⁻²⁷
5/11

17



AVSPICE CHRISTO. 3
De Norma veritatis & certi-
tudinis Doctrinae & cultuum in Ec-
clesia DEI, vnica & immota,

VERBO DEI,
SEV
SCRIPTVRA SACRA,

THESES.

De quibus

Præsidi R^{do} & CL. V.

D. LVCA BACMEISTERO,

S. Theologiae Doctore ac Professore, &

Collegij Theologici in Academia

Rostochiensis Decano

Respondet pro


*Licentia consequendi Gradum & in-
signia Doctorum Theologiae*

M. IOHANNES FREDERVS.

Die 30. Iunij.

Anno 1587.

3.



ILLVSTRISSIMO ET
optimo Principi & Domino,
D. ULRICO,
Duci Megapolitano, Principi
vetustæ gentis Henetæ, Comiti Sue-
rinensi, Rostochij & Stargar-
diæ Domino, Domino suo
clementissimo.

CERTA, DEI VERBUM, nobis est Regula
vita,
Certa salus animæ, gloria vera Dei.
Felices ergo quibus hæc Diuina tenetur
Norma, Dei cultus, iustitiæq; via.
Hanc tua cum virtus Dux illustrissime clara
In patria seruet, laus tua semper erit.
Mentis signa mea clementi suscipe vultu:
Magne pater patriæ, splendor, honosq; Vale.

IOHANNES FREDERVS.

PRO-

PROPOSITIONES
DE NORMA CERTITV-
DINIS DOGMATVM, SENTEN-
tiarum, & cultuum in Ecclesia
DEI.

I.

D Rodeft in omnibus doctrinis
ac præcipuè in Theologia, di-
scentes, ad principia, fontes
& causas certitudinis confi-
derandas deduci.

II.

Vult enim Deus aliquas esse certas &
immutas sententias vitæ rectrices, quæ
veram ipsius agnitionem, Artes vitæ ne-
cessarias, consilia & actiones vitæ ac mo-
rum leges gubernent.

III.

Ideo Notitias tradidit, tum naturales
tum alias in verbo suo, certis ac non fal-
lentibus testimoniis confirmato patefa-
ctas, quibus vult nos firmiter assentiri.

IV.

Ac in cæteris artibus, quæ humani
ingenij luce possunt iudicari, tres sunt o-
mnium doctrinarum fontes & certitudi-
nis *norma*, videlicet: Principia seu No-

A 2

ticia

tiæ nobiscum nascentes, Experientia vniuersalis, & intellectus consequentiæ seu ordinis in syllogismo.

V.

Et si autem hæc principia seu *νομοι εν νομοις* nobiscum nascentes, radij sunt Diuinæ lucis ac sapientiæ, sparsi in mentes hominum: vt sint testimonia de Deo, & initia ac normæ artium, & vitam regant:

V I.

Tamen hæc notitiæ nobiscum nascentes, & doctrinæ ex his extructæ, prudenter discernendæ sunt ab ijs sententijs, quas Filius Dei ignotas antea mentibus humanis patefecit, & Ecclesiæ suæ inde vsq; ab initio certis testimonijs miraculorum confirmatas tradidit.

V II.

Multa quidem nota nobis naturaliter diuina voce repetita sunt: vt omnia præcepta de honestis moribus & de vitæ gubernatione; quorum summa in Decalogo comprehensa est.

V I X.

In his cum ad notitiam naturalem, diuini verbi testimonium accedat, certitudo il-

do illustrior est & assensio firmior.

IX.

Sed tamen propria Religionis Christianæ doctrina est de vera agnitione veri Dei, patris, filij, & Spiritus sancti, de filio Dei Domino nostro Iesu Christo Mediatore pro nobis Homine ac victima facto, de causa peccati, calamitatum, et mortis humanæ, de Remissione peccatorum & reconciliatione cum Deo, & vita æterna Gratis propter filium Dei pro nobis passum & resuscitatum donanda, &c.

X.

Hæ sententiæ, etsi nec per sensum, nec per naturalem mentis lucem cernuntur, tamen, propter diuinam autoritatem & persæctionem, veræ, certæ & immotæ sunt.

XI.

Fundamentum igitur totius Theologiæ ac Religionis Christianæ, & *κεντηριον* ac Norma veritatis & certitudinis vnica & immota est **AUTORITAS & PATERFACTIO DIVINA**, seu **VERBUM DEI**, clara ipsius Dei & filij ipsius, *λογος*, oratoris, & internuncij Maiestatis diuinæ ad genus humanum voce re-

A 3

ucla-

uelatum, & Spiritus S. afflatu per Patres, Mosen, Prophetas & Apostolos Ecclesiae traditum, & certis ac illustribus miraculorum testimonijs confirmatum,

XII.

Quare vnica extat in genere humano, certis & illustribus testimonijs à Deo ipso tradita, vera de Dei essentia & voluntate doctrina, quæ in monumentis Prophetarum & Apostolorum literis mandata & libris certis comprehensa ad nos vsq; propagata est.

XIII.

Hæc scripta Prophetarum & Apostolorum vult Deus vnica & immotam veræ agnitionis & inuocationis sui normam & salutis hominum æternæ fontem, & omnium cultuum ac totius obedientiæ Deo præstandæ, omniumq; de Deo opinionum & controuersiarum religionis Regulam & amussim esse certissimam,

XIV.

Cum enim in tanta caligine & cæcitate mentium humanarum impossibile sit homini sine Deo Deum rectè cognoscere;

scere: 1. Cor. 1. Cum mundus Deum
sapiensem non cognouisset per sapien-
tiam, &c.

XV.

Ac voluntatis Dei in Euangelio reue-
latæ prorsus ignaræ sint:

XVI.

A Deo ipso per λόγον seu verbum su-
um nos docente discendum est, quid de
Deo, qui non nisi se doctore discitur, sen-
tiendum & loquendum sit. Matth. 11.
Nemo patrem nouit nisi filius, & quibus
huius semina notitiæ filius ipse dedit.

XVII.

Cum igitur *DEVS* hoc vno modo a-
gnosci, inuocari, & coli velit, sicut ipse se
in suo verbo certis & non fallentibus te-
stimonijis confirmato, patefecit:

XVIII.

Immensa bonitate & ardenti deside-
rio salutis nostræ flagrans seuerissimè o-
mnes homines iubet Verbum ab ipso
traditum & per prophetas ac apostolos li-
bris certis scriptum, attentè & assiduè le-
gere, meditari, firma fide amplecti, & velut

preciosissimum & summum in genere humano thesaurum retinere ac custodire. Matth. 17. Hic est filius meus, Hunc audite. 1. Timot. 4. Attende lectioni & doctrinæ. Col. 3. Verbum Christi habet in vobis opulenter cum omni sapientia.

XIX.

Imò propter hanc causam præcipue politias, & in his, ministerium Euangelij & literarum studia seruat, vt sint bibliothecæ Dei, in quibus Biblia per prophetas & apostolos scripta seruentur, ac rectè intellecta & incorrupta ad posteros perueniant. Esa. 2. De Sion exhibit lex & verbum Domini de Hierusalem.

XX.

Nam in hisce scriptis omnia ad veram Dei agnitionem, verum Dei cultum & ad salutem hominum æternam necessaria, integre & perfectè tradita sunt. 2. Timoth. 3. A puero sacras literas noueris, quæ possunt te erudire ad salutem per fidem in Christo Iesu.

XXI.

Omnis enim scriptura, diuinitus inspirata, & utilis est ad docendum, ad arguendum,

endum, ad corrigendum, ad institutio-
nem, quæ est in iustitia: vt perfectus fiat
Dei homo, ad omne bonum opus para-
tus.

XXII.

Vnica enim & sola in genere huma-
no hæc *SCRIPTURA* seu liber pro-
pheticus & Apostolicus, Doctrinam im-
mediatè à Deo generi humano certis ac
illustribus testimonijs patefactam, & Di-
uini Spiritus instinctu & afflatu per pro-
phetas & apostolos scriptam, continet.

XXIII.

Et *UTILITATES*, quas nulli libri
alijs adferre hominibus possunt, amplissi-
mas, non huic tantùm mortali vitæ &
corporibus ac fortunis nostris, sed nobi-
lissimæ parti naturæ humanæ, Menti vi-
delicet & Animæ saluti seruientes, largo
fonte effundit,

XXIII.

Cùm enim Religio Christiana omnis,
& omne piorum Ecclesiæ doctorum offi-
cium, vel circa Dogmata & Fidem, vel
circa mores seu cultus & opera versetur;

XXV.

Ac dogmata, vel vera docenda sint,
A s vel

vel falsa refutanda: Mores, vel mali corrigendi, vel boni instituendi.

XXVI.

Primùm utilis est liber scripturæ Sacrae *AD DOCENDVM* de summis & maximis rebus, de quibus nulli alijs libri sapientissimorum & præstantissimorum in mundo virorum, Platonis, Aristotelis, Iustiniani aut Galeni docere nos quicquid possunt: de vera agnitione veri *DEI* & redemptoris nostri Iesu Christi: de causis peccati & mortis, de remissione peccatorum, & liberatione à peccato & morte propter Christum pro nobis mortuum & resuscitatum, de firmis consolationibus in cruce & morte, de resurrectione corporum, & vita & gloria cum Deo sempiterna.

XXVII.

Secundò utilis est ad *ARGVENDVM*, seu omnis generis falsa dogmata & opiniones de Deo Epicureas, Academicas, Turcicas, Ethnicas, & aliarum sectarum deliria refellenda.

XXIIX.

Tertiò ad corrigendos mores adfectus,

fectus, studia, consilia, actiones, & cultus viciosos ac Deo displicentes, quos emandari ac tolli & velut fermentum vetus ex mentibus ac cordibus hominum expurgari & euelli prius oportet, quàm azyma sinceritatis. 1. Cor. 5. (sinceri timoris Dei, fidei, dilectionis, patientiæ) & veritatis seu veræ doctrinæ de Deo confessionis ac obedientiæ implantentur.

XXIX.

Quartus igitur finis seu effectus sacre scripturæ est *INSTITVTIO* in iustitia seu præscriptio regulæ vitæ & Normæ omnium bonorum operum & cultuum erga Deum, & officiorum erga proximum, quibus Homines à Deo conditi, & per filium mediatorem redempti, vicissim gratitudinem suam & obedientiam veris & pijs motibus cordis, & externa voce, ac beneficiorum Diuinorum celebratione, & omnium virtutum officijs Deo declarent.

XXX.

Ita vt perfectus fiat Homo Christianus, integrè & perfectè omnibus
ad

ad Christi religionem ac cultum æternamq̃ salutem nostram pertinentibus, ex scriptura instructus, & ad omne bonum opus paratus.

XXXI.

Nec quicq̃ aliud credere, Homo Christianus teneatur, quàm possit ex scriptura seu verbo Dei per prophetas & apostolos scripto probari.

XXXII.

Nec quicq̃ aliud facere seu vlla Bona opera cultusue alios Deo præstare debeat, præter eos qui expresso Dei verbo in sacris literis mandati sunt. Deut. 12. Quæ tibi præcipio, hæc tantum facito Domino: Non addas aliquid, neq̃ minuas.

XXXIII.

Nec alia Fidei aut cultuum norma quærenda aut cogitanda est, nisi hæc unica & sola, quæ in sacris scripturis patefacta est, vt Abraham diuiti in inferno, alias nouas reuelationes pro fratribus adhuc superstitibus expetenti, respondet. Luc. 16. Habent Mosen & prophetas, illos audiant. Deut. 18. Qui prophetæ illius verba non audierit, ego ultor ero.

Omnes

XXXIV.

Omnes enim alias de Deo & salute nostra opiniones, dogmata & cultus, cum hoc verbo à se tradito & nobis præscripto pugnant, horribiliter damnat & execratur. Gal. 1. Si quis aliud Euangelion prædicauerit, præter id quod prædicauimus, anathema sit.

XXXV.

Nam de scripto etiam Euangelio intelligi hunc locum debere, Chrysoſtomus de Lazaro & diuite ostendit, cum scripturas sanctas etiam excitatis mortuis fide digniores esse: & à Paulo, Angelis de cælo descendentibus eas præponi ait.

XXXVI.

Quare per sola hæc prophetarum & apostolorum scripta, *VERBUM DEI* seu Doctrinam à Deo patefactam continentia, à nobis audita, lecta, cogitata, *DEVS* ad salutem efficax est, & veram sui agnitionem, fidem, consolationem, veram iustitiam, vitam & salutem æternam Homini- bus impertit. Act. 17. Loquetur tibi verba, per quæ saluaberis tu & vniuersa domus tua. 1. Cor. 1. Placuit Deo per
stul-

stultam (vt mundo videtur) prædicationem (Christi crucifixi) saluos facere credentes.

XXXVII.

Vnica etiam & summa , in omnibus de Religione dissijs , ac controuersijs de doctrina & cultibus Diuinis, hæc scripta *VERBI* Diuini , seu libri prophetarum & apostolorum, *IUDICII* norma & amulsis sunt. Esa. 8. Ad legem & ad testimonium: Quod si non dixerint iuxta verbum hoc , non erit eis matutina lux. Ioh. 12. Verbum quod locutus sum vobis, iudicabit, &c.

XXXIX.

Sicut omnes vetusti patres ac doctores ecclesiæ , controuersias dogmatum, & alias in Ecclesia omnes, ex solo verbo Dei & Canonicis scripturis dijudicandas esse senserunt.

XXXIX.

Ideo enim constitutus est Canon Ecclesiasticus (inquit Augustinus contra Crescon.) ad quem certi prophetarum & apostolorum libri pertinent , quos omnino

mnino iudicare non audeamus, & secundum quos de cæteris libris vel fidelium, vel infidelium liberè iudicemus. Itaq; epistolæ Cypriani autoritate non teneor, quia literas Cypriani, non vt Canonicas habeo; sed ex Canonicis considero; & quod in eis Diuinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

XL.

Contra Petiliani epistolam: Non audiamus: Hæc dico ego, hæc dicis tu, hæc dicit ille: sed audiamus: *HÆC DICIT DOMINVS*, sunt certii libri Dominici, quorum autoritati vterq; consentimus: ibi quæramus Ecclesiam: ibi discutiamus causam nostram.

XLI.

Aduersus Maximinum Ari: Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre concilium, nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunq; proprijs, sed

sed vtriusq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

XLII.

Libro 11. contra Faustum: Scripta patrum non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legenda sunt. Distincta est à posteriorum libris excellentiæ Canonicae autoritas, veteris & noui testamenti. In illis enim cuncta nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica veritate defendantur, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur.

XLIII.

Et Hieronymi vox (in 23. ca. Matth.) nota est: Quod in Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

XLIV.

Hoc loco libri Scripturae Canonicae ex veteri & nouo testamento ordine recensendi, & distribuendi, & ab apocryphis discernendi erant.

XLV.

Quorum tituli cum ex quotidiana Bibliorum lectione omnibus noti sint:
nunc

nunc ea, quæ contra Fundamentum hoc Religionis nostræ, & Normam Iudicij vnicam, videlicet verbum Dei scriptum, à pontificijs & alijs, de Ecclesiæ autoritate, de scripti verbi obscuritate, & insufficiencia, & de Traditionibus Apostolorum non scriptis, obijciuntur, breuiter diluamus.

XLVI.

Allegant enim ex Augustino (contra Epistolam Manichæi) quam perpetuò in ore habent, sententiam: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret autoritas.

XLVII.

Cum igitur Ecclesia primitiua iudicium de libris scripturæ sacræ, qui Canonici, qui non Canonici sint, sibi sumserit: & quatuor tantum Euangelia receperit: cætera, Philippi, Nicodemi, secundum Petrum, secundum Thomam reiecerit:

XLIIIX.

Perspicuè colligi aiunt, maiorem Ecclesiæ, quàm verbi scripti autoritatem esse: & propter hanc Ecclesiæ autoritatem Euangelio credi: ideoq; Ecclesiæ

B

magis

magis quam sacrae scripturae credendum
esse contendunt.

XLIX.

Sed certum est, principaliter credi E-
uangelio, non propter auctoritatem huma-
nam, sed propter autorem Deum, qui
arcanam voluntatem suam hoc verbo
patefecit, illiusque certitudinem testimo-
nii miraculorum confirmat. Ioh. 1.
Filius, qui est in sinu patris, ipse enar-
rauit.

L.

Vt autem Ecclesia populi Israel te-
statur, veteris testamenti libros à pro-
phetis acceptos esse: sic primitiua, &
postea catholica vniuersi orbis Ecclesia
testatur, Euangelia & Epistolas aposto-
lorum, verè ab apostolis traditas esse.

LI.

Sic Euangelio creditur propter Ec-
clesiam, velut testem, minus principa-
liter.

LII.

Habet autem Euangelion auctorita-
tem à Deo ipso autore, qui illud tradi-
dit, & addidit illustria miracula, vt au-
torem monstrant.

Nec

LIII.

Nec verò antiquior est Ecclesia verbo Dei, quod in nostram doctrinam & consolationem Nobis postea præscriptum est.

LIV.

Et impiè quidam scripserunt; Patres verbo Dei insito, seu lege naturæ, Iudæos lege Moyfi, Nos lege Christi saluari.

LIV.

Sicut Iudæi nostrates aliqui, insulse dictum Abacuc, Iustus fide sua viuet, interpretantur: Vnumquenque iustum seu honestè viventem, in fide sua cuiuscunque religionis ceremonias seruantem, saluari.

LVI.

Pontificij verò obscuritatem & ambiguitatem scripturæ exaggerantes: aliam certiozem Normam Iudicij, quàm verbum Dei, videlicet Consensum Ecclesiæ Catholicæ omnium temporum, (quo præsentis consuetudines suas intelligunt,) constitui oportere contendunt.

B 1

Ac

LVII.

Ac singularis impudentia & atrox blasphemia est Antonij cuiusdam Posseni, qui superiori proximo anno adhuc scripsit, *VERBUM DEI*, quod retinemus, non verum & viuum Dei verbum, sed eiusdem tantummodo sonum informem atq; confusum, & tanquam canum Musicam, sine præcentore, sine tactu, sine debita & conuenienti mensura, modi, temporis & prolationis esse, vt Albertus Pigius ante 44. annos blasphemauit, Scripturam instar nasi cerei esse, qui in quamcunq; formam transformari queat: & in colloquio VVormatiensi, sacram scripturam, non iudicem controuersiarum religionis, sed materiam litis omniumq; dissidiorum nominarunt.

LIX.

Cum autem Deus verax sit, ac verè voluntatem suam generi humano in verbo à se tradito patefacere voluerit: non præstigias & ambiguitates ceu Sphingis ænigmata, miseris hominibus velut pomum Eridos obiecisse, sed vera propria & dilucida oratione animi sui sensa explicasse

caste existimandus est, sicut psalmus inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Item, Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

LIX.

Cumq; Petrus iubeat nos attendere verbo prophetico, tanquam lychno lucenti in loco caliginoso: cogitemus quantum scelus sit, auertere mentes ab hac luce diuinitus monstrata, ac dicere, Lumen à Deo datum ad illustrandas mentes nostras, obscurum & caliginosum esse.

LX.

At fateri necesse est, dices, multis in locis obscuritatem esse, plurima scripturæ testimonia aliter ab alijs enarrari, & in sententias diuersissimas diduci.

LXI.

Respondeo, primùm, summam & capita doctrinæ Christianæ præcipua, *LEGEM & EVANGELION*, perspicuis & proprijs verbis tradita esse.

LXII.

Nulla enim est legis Dei seu Decalogi obscuritas vel ambiguitas.

B ;

Dein-

LVII.

Ac singularis impudentia & atrox blasphemia est Antonij cuiusdam Posseni, qui superiori proximo anno adhuc scripsit, *VERBUM DEI*, quod retinemus, non verum & viuum Dei verbum, sed eiusdem tantummodo sonum informem atq; confusum, & tanquam canum Musicam, sine præcentore, sine tactu, sine debita & conuenienti mensura, modi, temporis & prolationis esse, vt Albertus Pigius ante 44. annos blasphemauit, Scripturam instar nasi cerei esse, qui in quamcunq; formam transformari queat: & in colloquio VVormatiensi, sacram scripturam, non iudicem controuersiarum religionis, sed materiam litis omniumq; dissidiorum nominârunt.

LIX.

Cùm autem Deus verax sit, ac verè voluntatem suam generi humano in verbo à se tradito patefacere voluerit: non præstigias & ambiguitates ceu Sphingis anigmata, miseris hominibus velut pomum Eridos obiecisse, sed vera propria & dilucida oratione animi sui sensa explicasse

caste existimandus est, sicut psalmus inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Item, Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

LIX.

Cumq; Petrus iubeat nos attendere verbo prophetico, tanquam lychno lucenti in loco caliginoso: cogitemus quantum scelus sit, auertere mentes ab hac luce diuinitus monstrata, ac dicere, Lumen à Deo datum ad illustrandas mentes nostras, obscurum & caliginosum esse.

LX.

At fateri necesse est, dices, multis in locis obscuritatem esse, plurima scripturæ testimonia aliter ab alijs enarrari, & in sententias diuersissimas diduci.

LXI.

Respondeo, primùm, summam & capita doctrinæ Christianæ præcipua, *LEGEM & EVANGELION*, perspicuis & proprijs verbis tradita esse.

LXII.

Nulla enim est legis Dei seu Decalogi obscuritas vel ambiguitas,

B 3

Dein-

LXIII.

Deinde summa Euangelij proprijs verbis saepe repetita est, Remitti à Deo peccata, & donari vitam æternam agentibus poenitentiam, non propter ipsorum opera, sed propter solum filium Dei mediatorem D. N. I. Christum, fide à nobis apprehensum, & prælucente hac fide iustitiam bonæ conscientiae, seu No- uam obedientiam iuxta totam legem Dei inchoandam esse.

LXIV.

Hæc doctrinæ capita, non obscure, sed proprijs ac perspicuis verbis in Prophetarum & Apostolorum libris scripta sunt.

LXV.

Postea cum rudiores non ubique genus sermonis, phrasin, & figuras verborum in scriptis sacris intelligant, saepe etiam cœlestia dicta malitiosè deprauentur, vt, cum verba Patriarchæ Iacobi: Inuocetur nomen meum super pueris istis, ad inuocationem sanctorum detorquentur;

Insti-

LXVI.

Instituit Deus in Ecclesia ministerium docendi, & interpretationis scripturæ, quam ex fontibus seu collatione membrorum sermonis Diuini, & proprietate linguarum, depromi vult, & congruere ad Analogiam fidei, seu doctrinæ summam, & Ecclesiæ apostolicæ testimonia.

LXVII.

Quòd autem Pontificij nomine tenus consensum Catholicæ Ecclesiæ, Normam interpretationis ac dogmatum & cultuum constitui oportere declamitant: nihil aliud quàm præsentem *CONSVETVDINEM* suam intelligunt, quæ multa apostolicæ Ecclesiæ & puriori Antiquitati ignota, vt circumgestationem & cultum panis consecrati in die corporis Christi: inuocationem veri Dei in psalmis translata ad s. Mariam: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Ad Dominam cum tribularer clamaui, & alia plurima recepit.

LXIIIX.

Quæ ut tueantur, non omnia creditur
necessaria in literis sacris expressa esse, ut
Symbolum Apostolorum, Filium Dei
patri consubstantialem, Trinitatem per-
sonarum, Infantes baptizandos, Scripturam
esse Canonicam, &c. Ideoq; aliam
pleniorẽ & certiorẽ normam, videli-
cet Verbum Dei traditum, quas Aposto-
licas traditiones nominant, sententias, do-
gmata, & ritus à maioribus in Ecclesia
Dei velut per manus ab apostolis acce-
ptos, requirendam esse disputant.

LXIX.

Et de hoc verbo Dei non scripto, sed
ore tradito, loqui Paulum fingunt, cum
inquit 1. Timoth. 6. Depositum serua.
2. Thess. 2. Tenete traditiones quas ac-
cepistis, siue per sermonem, siue per epi-
stolam. 1. Corinth. 11: Ego à Domino
accepi, quod & tradidi vobis. 1. Cor. 15.
Tradidi vobis inprimis quod acceperam.

LXX.

Atqui omnia hæc dicta, de doctrina
ipsius Dei voce tradita, & prophetarum
& apostolorum concionibus illustrata, &
scri-

scriptis comprehensa, loqui manifestum est.

LXXI.

Bonum Depositum doctrinae Legis & Euangelij à Christo traditæ, cuius summam in suis epistolis Paulus, Timotheo, Romanis & cæteris præscripserat, fideliter ab eo retineri, custodiri, & alijs fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios docendos, commendari iubet.

XXIXC.

Nec alias traditiones articulorum doctrinae, vel rituum, cum doctrina à Christo tradita pugnantes, vel per epistolam ad eos scriptas, vel viua voce prædicatas, retinere Theffalonicenses iubet.

XXVIIIC.

Et 1. Corinth. II. Verba institutionis Cœnæ Domini ab euangelistis scripta, & 1. Cor. 15. doctrinam de morte & resurrectione Christi, & de resurrectione mortuorum, non alias nouas, & sacrae scripturae contrarias opiniones & cultus, Corinthijs tradit.

XXVIC.

Quod igitur ad *VERBUM DEI* per
B s apo-

Apostolos *TRADITVM* seu *TRADITIONES* apostolicas, scriptis Apostolorum comprehensas, attinet: fate-
mur. Has velut vnicam certam & im-
motam veræ Dei agnitionis & inuocatio-
nis normam, & omnium religionis con-
trouersiarum iudicem incorruptissimum
ac certissimum, toto pectore amplecten-
das, omnesq; opiniones ac cultus cum
his pugnantes auersandos esse.

XXV C.

Aliæ autem sunt Traditiones non
scriptæ, sed vel ex ore primorum pa-
trum, aut apostolorum, vel scriptis pa-
trum, vel decretis pontificum, vel aliàs
incertis autoribus in Ecclesia Pontificia,
communi vsu & consuetudine iam rece-
ptæ. Quas ipsi nomine consensus Ca-
tholicæ Ecclesiæ intelligunt.

XXIV C.

Harum duo sunt genera: Aliæ cum
verbo Dei per Prophetas & Aposto-
los scripto, non pugnantes.

XXIII C.

Quæ vel perspicuè & disertè man-
datis Dei & articulis fidei in scriptu-
ra tra-

ra traditis congruunt, vel bona consequentia inde extrui & confirmari possunt, ut ex Ecclesia primorum patrum ad Ethnicos quoque emanarunt *KABALAE* seu traditæ à patribus sententiæ, de vero Deo, de Christo, de resurrectione mortuorum, de extremo iudicio; quæ Sibyllis adscribuntur: *εἰς μόνον θεὸς, καὶ σὸν θεὸν θεὸς ἄλλον. πρῶτα πατὴρ, μετὰ πείρα λόγος, καὶ πᾶσι μὲν σὸν αὐτῶν.* Et versus Sibyllarum existimantur à Phocylide postea collecti: *πρῶτα θεὸν τίμα, μετὰ πείρα δὲ σεῖο γονῆας.*

XXIIC.

Vel de rebus sua natura indifferentibus loquuntur, quas sine fidei & salutis nostræ dispendio credere, vel rejicere, usurpare vel omittere licet, ut Basilii ait ab Apostolis traditum esse, ut in precando faciem ad orientem vertamus, erecti in precando stemus, cruce nos signemus.

XXIC.

Sic ceremonias in administratione baptismi & cœnæ Domini à maioribus acceptas, etsi scripto Dei verbo non

non omnes mandata sunt, tamen ple-
rasque cum scriptura non pugnant, salua
libertate Christiana, in nostris Ecclesiis
retinemus:

X X C.

Ita tamen ut usum horum rituum ἀ-
ἀεφώρων sciamus nec mereri remissio-
nem peccatorum, nec esse iustitiam, nec
cultum Dei necessarium, sed extra casum
scandali omitti posse.

X I X C.

Aliae traditiones ἀρεαφοι seu consue-
tudines, cum Tradito Dei verbo per pro-
phetas & apostolos scripto manifestè pu-
gnant, ut: Inuocatio & cultus hominum
mortuorum & statuarum directè aduer-
sarius primo præcepto: Dominum Deum
tuum adorabis & illi soli (cultu adora-
tionis religiosæ) seruias.

X I I X C.

De qua Epiphanius etiam, quantum-
uis tenax assertor apostolicarum traditio-
num exclamat: In honore sit Maria; sed
Pater, filius & Spiritus S. adoretur;
MARIAM nemo adoret,

Obla-

XVIIIC.

Oblatio sacrificij Missæ pro peccatis
viventium & defunctorum, singulis penè
apicibus verborum institutionis repu-
gnans.

XVIC.

Fingere satisfactionibus nostris mor-
tem æternam & pœnas purgatorij redi-
mi, & has indulgentijs pecunia emptis
relaxari.

XVC.

Fingere Romanum pontificem esse
caput ecclesiæ, iudicem omnium dogma-
tum, tenere utrunq; gladium, & terreni
ac cœlestis regni imperium; & similia in
papatu dogmata, opiniones, Idolatrici
cultus & ceremoniæ quàm plurimæ.

XIVC.


Hos tetros errores & Idola nomine
traditionum tacitarum & alijs præstigijs
tegere & excusare, manifesta impietas est.


XIIIC.

Quare ad normam Doctrinæ in libris
Prophetarum & apostolorum scriptæ, non
modò has traditiones tacitas, sed omnes
etiã de Deo cogitationes, dogmata &
cultus


cultus tanquam ad Lydium lapidem ex-
aminemus, & diligenter, quotidie &
attentè libros sacros legamus & me-
ditemur, & Filium Dei, λόγον, fontem
omnis sapientiæ & doctrinæ sa-
lutaris, vt nos ipse doceat &
gubernet, assiduís & ar-
dentibus votis
precemur.







Fm
4303^{1/2}



As
blasph
uini,
scripsi
mus,
sed ei
mem
Müsic
ne del
tempo
Pigius
Script
quam
& in
script
rum r
umcp

Cu
volun
bo a
præsti
ænign
mum
& dil

VII.

impudentia & atrox
antonij cuiusdam Posses
i proximo anno adhuc
M DEI, quod retine
& viuum Dei verbum,
immodo sonum infor
m, & tanquam canum
ecentore, sine tactu, si
nienti mensura, modi,
ionis esse, vt Albertus
annos blasphemauit,
nafi cerei esse, qui in
m transformari queat:
Vormatiensi, sacram
iudicem controuersia
d materiam litis omni
nominarunt.

VIIII.

Deus verax sit, ac verè
generi humano in ver
tefacere voluerit: non
iguitates ceu Sphingis
s hominibus velut po
cisse, sed vera propria
ne animi sui sensa expli
casse

